

# CAPUT VIII.

## DE SALIBUS.

### §. I.

**D**E Salibus jam acturus, moneo, me non omnia Salia, quæ ex combustis rebus variis, animalibus, vegetabilibus &c. produci possunt, ad hoc Salium Caput referre; Sed illa tantum, quæ ex aquis falsis, aluminosis, nitrosis &c. coquuntur, aut ex terris & lapidibus, cum lixivio extrahuntur, & calore denique inspissantur, qualia sunt: *Sal vulgare, sive commune, Nitrum Alumen & Vitriolum.*

§. 2. SALIS, quo utimur ad condendum, Græcis αλάς, German. Salt / Ruten Salt / tria genera in orbe sunt: *Fossile, Marinum & Lacustre.* Quamvis in agro nostro Salis scaturigines deficient, nullumque Sal fodiatur aut coquatur, defectum nostrum vicinorum Salibus, & parvo pretio, supplere possumus. Copiosum enim coquitur *Halæ Hermundur*, de quo peculiaris libellus prodiit, *Franckenhusæ*, & aliis in locis. Cum in  
agro